

1276, octubre, 20

*Rainiunda · de Santmartí ven a Peregrina de Bevià, filla seva, el mas Borrell de Millàs pel preu de 300 sous.*

ASD núm. 237, perg. orig., 305 x 230 mm.

Sit notum cunctis quod ego domina Raymunda de Sancto Martina, uxor quondam Bemardi de Sancto Martina militis, non decepta uel circumuenta ab aliquo, set bono animo et spontanea uoluntate per me et omnes meos heredes et successores, uoluntate et consensu Guilielmi de Sancto Martina et Raymundi de Sancto Martina filiorum meorum, uendo et liberando trado iusto titulo pure et perfecte uendicionis tibi Pelegrine de Beuiano, filie mee filieque Guilielmi Gaufridi de Matremagna mariti mei quondam et tuis perpetuo per franchum el liberum alodium totum mansum et mansatam meam quem Petrus Borrelli de Mylars tenet per me apud Mylars in parrochia Sancti Stephani de Matremagna cum omni suo honore quem per me tenet et cum hominibus et feminis ibi uel alibi habitantibus et eorum redemptionibus, censibus et agrariis, intratis et firmis, placitis et firmamentis et cum omnibus aliis directis dominiis. Item uendo tibi et tuis eodem modo et forma totum directum dominium et ius quod habeo et habere debeo apud Mylars in quibuscumque honoribus et possessionibus. Quam quidem uendicionem dicti mansi et honoris et omnium aliorum predictorum tibi et tuis facio cum ingressibus et egressibus suis et cum omnibus proprietatibus et integritatibus ac pertinenciis suis, tam principaliter quam accessorie, et cum omnibus melioramentis et augmentis que ibi facere poteris ad omnes tuas tuorumque uoluntates per franchum et liberum alodium in precio trecentorum solidorum barchinonensium de terna, quos a te numerando in solidum recepisse confiteor, renunciando exceptioni non numerate peccunie siue non recepti predi. Si quid uero amplius ex hoc precio presens uendicio nunc ualet uel in posterum ualebit, illud plus totum tibi et tuis dono et remito donacione inter uiuos, renuncians beneficio illius legis rem maioris qua deceptis ultra dimidiam iusti precii subuenitur. Et sic mitto te in presenti in possessione omnium predictorum uel quasi cum hoc instrumento perpetuo ualituro, confitens et recognoscens me predicta omnia et singula tuo nomine possidere donec tu agressa fueris per te corporalem possessionem uel quasi omnium predictorum, dando et concedendo tibi et tuis omnes uoces, iura, loca et donaciones, raciones et omnes acciones reales et personales, generales et speciales, mixtas, utiles et directas mihi in predictis omnibus et singulis competentes uel modo aliquo competituras per franchum et liberum alodium, promitens quoque bona fide per firmam et solempnem stipulacionem quod predictam uendicionem. totam ab integro faciam tibi et tuis semper bonam et firmam habere, tenere atque possidere quiete et in bona pace contra omnem agentem uel conquerentem personam per franchum et liberum alodium. Et si aliqua persona priuata uel extranea aliquid in dicta uendicione tibi uel tuis tetigerit, emparauerit, contradixerit, forisfecerit, perturbauerit aut iure uellet euincere in totum uel in parte, promito me ante te et tuos ponere ac in iudicio et extra defendere et honus litigii in me suscipere et causam ducere assidue a litis principio usque in finem, meis propriis missionibus et expensis, uel si malueris per te causam ducere, passis hoc libere facere, habita super hoc a te eleccione,

et ego restituum tibi plenarie omnes missiones quas inde feceris in iudicibus, aduocatis, scriptoribus uel alio quocumque modo, de quibus credatur tuo simplici uerbo, sine sacramento et testium productione, remittendo tibi et tuis ex pacto necessitate denunciacionis, et insuper ab omni persona de firma et legali euictione semper tibi et tuis teneri promito, unde pro hiis omnibus et singulis atendendis et complendis obligo tibi et tuis omnia bona mea mobilia et immobilia, presentia et futura ubique, et iuro in Deum et super eius sancta .un.or Euangelia corporaliter tacta predicta omnia et singula atendere et complere ac fideliter obseruare, renuncians super hiis de iure meo plene certificata omni doli excepcioni et condicioni indebiti et sine causa et omni alii iuris et legum auxilio quibus contra predicta uenire passem uel aliquid de predictis infringere uel reuocare. Et nos Guilielmus de Sancto Martina et Raymundus de Sancto Martina, filii dicte domine Raimunde de Sancto Martina, predictam uendicionem gratis laudantes et aprobantes, promittimus eam ratam et firmam semper habere et non in aliquo contrauenire racione hereditatis et legitime nostre pateme uel materne uel alia aliqua racione, tactisque sacrosanctis .nu.or Dei Euangeliis corporaliter per Deum sponte iuramus.

Actum est hoc .xrn. kalendas nouembris anno Incarnacionis Christi millesimo ducentesimo septuagesimo sexto.

Sig+num domine Raimunde de Sancto Martino, sig+num Guilielmi de Sancto Martino, sig+num Raimundi de Sancto Martino, filiorum eius predictorum, qui hec omnia laudamus, firmamus et aprobamus. Testes huius rei sunt Gaufridus, prior monasterii Sancti Michaelis de Crudiliis et Berengarius monachus et frater Iohannes de Serra, monachi eiusdem monasterii et Pelegrinus de Sancto Michaele.

Guilielmus de Spodolia, scriptor de Crudiliis, qui hoc fideliter scripsi die et anno quo supra (s. man.).

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 489-491